quos merito muneraret propter libere et non coacte servitutis studium. Verum chorus ille qui ob claritatem quam ex divina munificentia creando susceperat nomen accepit luciferum. dum sui conditoris excellentiam respicere maiestatemque venerari non meminit. sese mirans intumuit. nec mora lurulento habitu viduatus. in voraginem baratri omni turpitudine defuscatus corruit. Tunc cetera celicorum agmina. discrimine ac ruina scelestorum superiorum perculsa. dum similem casum timuerunt incurrere de bivio libertatis imperfectum et simpliciorem bonitatis habitum [illegible] leguntur evasisse. ut nequaquam amplius afferri [illegible] peccandi posset eos attingere. Ea igitur causa genus humanum sumpsisse perhibetur originem. ut obediendo proficiscaretur ad gloriam quam superbus amiserat ob irremediabilem culpam. Cuius generis propagationem non sic intelligitur amplificari voluisse bonus omnis creature dispositor. ut licenti liventer quibuslibet viri mulieribus abuterentur. sed inter marem ac feminam fides servaretur coniugii. cum prothoplasto non plures sed unam desponsaverit. cum per eundem sanctum adam et sapientem dixerit. relinquet homo patrem suum et matrem. et adherebit uxori sue et erunt duo in carne una. Qui ego uni viro virginem unam despondit. quique duos in carne una constituit. subtiliter interventionem tertii vel tertie propter duorum dissidium aequens interdixit. Verum istud tantis nove legis et vetuste assertionibus ut nostris argumentis firmari non indigeat. Quod vero legale connubium religio sit non delictum. dominus iesus Christus liquido patefecit. qui nuptiarum convivio dignatus interesse cum suis discipulis. signorum illas primordiis decoravit. (Cf. Jo. 2. Duntaxat.) Unde ego videlicet miles dei sanctorum patrum emulari cupiens. Instituta te scilicet propter amorem generande prolis et conservande regule coniugalis in matrimonium volo ducere. et de meis possessionibus